

Dissertatio inauguralis medica de medicina sine medico / [Christoph Berghauer].

Contributors

Berghauer, Christoph.
Stahl, Georg Ernst, 1660-1734.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeb : Literis Christiani Henckelii, [1707]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/uw9pymm2>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

~~21~~
22

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
De

MEDICINA SI- NE MEDICO,

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO, CETERA,

JUSSU GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE,
SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,
MED. D. ET PROF. PUBL. ORDINAR.
h. t. FACULT. DECANI,


*Dn. Patroni, ac Promotoris
sui, omni observantia cultu prosequendi,*

PRO LICENTIA,

Summos in ARTE MEDICA Honores, Jura & Privi-
legia legitime capessendi,

Add. Febr. MDC CVII, horis ante & pomeridianis
IN AUDITORIO MAIORI,
publicæ disquisitioni exponet,

CHRISTOPHORUS BERGHAEUER,
Gardelegiensis Palæo Marchicus.



LITERIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.



MEDICINA

IN MEDICO

IN PRAESENTIA

IN GEORGETOWN

Dr. P. ...

PRO LICENTIA

...

...

...

...



PROOEMIUM.



Quantumlibet in se ve-

rum sit, tamen non ineleganter à Galeno verbis est expressum, libello, Quod, optimus Medicus, sit Philosophus: Ut athletæ multi sunt, qui victoriam ferre ex olympiis optent, nullam tamen operam, ut illud consequantur impendunt: Sic multis Medicis evenire videmus, qui cum Hippocratem laudent, & in arte medendi cæteris anteponant, ipsi tamen quidvis potiùs aliud agunt, quam ut ei, quem prædicant similes efficiantur. Certè, ut alia multa mox ibi subjungit Galenus, in quibus à monitis æquè, atque ipsis vestigiis Hippocratis longissimè abesse, multos tales meritò arguit: & imprimis pertinacem inscitiam rationalis, (Græcis Logicæ dictæ) contemplationis; Deinde morborum qui præteriére, qui præsentés sunt, qui futuri ægro corpori sunt, providentiæ imperitiam: Ita non postremo loco inter hæc omnia recenseri meretur pressa prosecutio illarum rerum, quas ægris verè salutare esse, & vel spontè illos à periculis atque damnis liberare, & passim contingat, & prudente propterea animadver-

sione, & ad usum applicatione, dignissimum esse, inculcat. Quantumlibet autem & ipse passim, Hippocrates, & præcipuus ejus interpres Galenus, talia tractent, quæ, & quo utendi modò, tum aliàs, & quod ajunt, spontè, corpori humano usui aut damno esse observentur; Tamen quonam propiore, atque maxime conspicuò agendi modò, hoc perficiant, non solum passim non satis expediunt, sed tantò minùs in unam summam coordinatis deductionibus hoc ipsum satis ordinatè exequi, annisi esse observantur. Inutiliter certè in hoc genere Galenus, remotas quasdam agendi rationes supeditare hinc inde laborat, allegando primas, ut appellant, qualitates variarum rerum: quæ vel soleant spontè usurpari, vel arte præscribi atque commendari: Et inutiliter qq. ipsum hoc in tramite secuti sunt posteriorum seculorum Scriptores, secundùm hunc conceptum, tam plantarum, quam reliquas, ut appellant, Materiæ Medicæ, energias huic scopo subservientes, per primarum qualitatum assignationes distribuere satagentes. Longè verò utilius fecissent, si veriores rationes perpendissent, quonam præcipuè modò ipsi diversi gradus caloris, frigoris, humiditatis, siccitatis, imò secundarum dictarum qualitatum efficaciam, corpori prodesse aut nocere observentur. Ubi certè fortè pressius insistere possent effectibus illis, quibus tales energiam, tam materiis, ut movendis, quàm organis, ad movendum instrumentis, imò sensibus, ad provocandos motus incitamentis, inservire; Motus autem ipsi, corpori à rebus alienis repurgando, adeoque illud sinceræ suæ integritati restituendo, opitulari, & possunt & solent. Quia verò has res specialius profèqui non æque intentio nostra fert, imò potius universalior quædam ratio

atque confideratio, velut in primis fundamentis, quæ ab Hippocrate univerfæ arti fubfternuntur, nobis occurrit, quæ animum totum ad fe convertat; Placet propterea fpeciminis Inauguralis loco illam altius perpendere, & quantum in illa ad veram artem Medicam luminis præluceat, & utilitatis in fit, evidenti cognitioni fiftere. Loquor DE MEDICINA SINE MEDICO, quàm, Lib. DE ARTE, quantumlibet veluti per obliquum, Hippocrates allegat, tamen directam confiderationem tantò magis postulat, quia eodem ipfo div. Senex in illâ veluti ingentem partem confiderationis illius collocat, quâ veritas artis medicæ, ex observatione harum rerum colligi atque confirmari debeat. Allaborabo itaque, ut huic rei & propria fua evidentia confitet, & applicatio etiam ejusdem ad illos Ufus, quibus Hippocrates eandem destinat, luculentius inde perfpici poffit. Velit DEUS T. | O. M., ut rem prorfus utiliffimam, & veris demonftrationibus inde formandis, adeoque rationali Medendi Methodo velut unice velificantem, perfpicuè non minus, quàm vere atque folide tractemus, adeoque & Scientiæ & Arti, Theoriæ atque Praxi, utilia proferamus.

I.

VALLERIOLA, ut aliàs paffim doctè interpretatur, imo non explicat folum, fed applicat etiam fcitiffimè, & alia Hippocratis loca atque dogmata, & illa cum primis, quibus de NATURA ejusq; fuma in rebus medicis energia, Hippocrates egregia prorfus profert; Ita adducit etiam bis in observationibus fuis, nempe *lib. II. obf. 6. & Lib. IV. obf. 3.* locum ex Hippocratis libro de Arte: Ita tamen notanter, ut quod Hippocrates, quali per obliquum in

illis locis facit, ipse contra expressione veluti simpliciter directâ adducat. *Libro II. enim obs. 6. dicit: Natura est, quæ & sanitatem in nobis tuetur, & morbos pellit; Ipsa sibi vias inveniens: Ob id Hippocrates, multos quidem sine Medicis, verum non sine medicina tamen, curatos esse ingenue confitetur. Lib. vero IV. obs. 3. dicit: Hippocrates plerosque sine Medicis non tamen sine medicina curatos esse, testatur.*

II.

Hippocratis autem ipsius propositio allegato lib. de Arte, illa maxime est: Objiciet nobis adversarius, quod multi jam egri etiam Medico non utentes sanitatem recuperaverint: Et ego huic sermone fidem non detrabo; Apparet autem mihi simile hoc esse, ut etiam Medico non utentes, tamen Medicinæ bonam fortunam experiantur, quamvis non sciant aut intelligant quid in illa rectum aut non rectum insit. Tamen quod ita bona fortuna a se ipsis curati eadem ratione restituti sunt, qua ipsi quoque Medici usuri essent, aut usi fuissent. Post pauca interposita pergit: Meminisse autem utiq; debere illos, qui ita sine Medicorum consiliis convalescant, quod aliquid vel fecerint, vel non fecerint, cujus interventu sanitatem ita consecuti sint. Progreditur hinc ad nominanda quædam talia quibus veluti dubium non sit, usos esse tales, qui ita, absque alia arte, sanitatem recuperaverint; Ubi in ediam, aut contra πολυφαγίαν, aut sitim, aut balnea, aut labores, aut somnum, aut opposita horum, adhibuisse suspicatur. Hæc talia, pergit, bene perpendenda esse; ita agnitum iri, quod non sine MEDICINA restituti sint: Nempe sine rerum quæ prodesse possint, aliquo usu; Imo tali usu quali maximè ita prodesse valent. Hoc ipsum tamen dignoscere atque recte intelligere, nec omnibus dari, ut intelligere atque comprehendere possint, & si tandem ordinate atque sufficienter intelligatur, constituat illum ipsum habitum, ita cum reclaratione effectivum, qui ἰητρικῆ, A R S Medica, dicenda sit.

III.

Intercedit autem revera differentia aliqua, inter ipsum sensum deductionis Hippocraticæ, & acceptionis, qualem Valeriolæ inde sumit. Primò enim nullo verbo meminit Hip-

hipocrates hoc loco, quamvis aliis admodum significanter illud faciat, NATURÆ; *Valleriola* contra, non facit solum mentionem *Naturæ*, sed insuper exquisito illo sensu, quod de *illa* loquatur *quæ ipsi sibi vias inveniat*. Et altero loco, quod ad *excretionem*, *sibi viam fecerit*, ipso exemplo docet.

IV.

Ita quidem omninò dissentire videntur *Valleriola* & *Hippocrates*, dum ille quidem *Naturam* hîc nominat, quod *Hippocrates* disertè *Artem* appellavit; Imò talem *artem*, quæ nula alia re, nisi *collectione* quasi nudâ atque *divisione* debitâ indigeat, ut non solum ordinatius *doceri* atque *disci* possit, sed etiam cum debita *discretione exerceri*.

V.

Quamvis autem hæc reverà non sint falsa penitùs, laudanda tamen non solum est *Valleriole* solertia, qui etiam latiùs extendit hunc *Hippocratis* locum: Sed etiam omninò in eo affectus feliciter videtur ipsam mentem *Hippocratis*, dum hic ad illam suam *artem Medicam* intelligendam atque comprehendendam omnium, quæ etiam *sine Medico* ad *sanationem ægri* faciunt, exquisitam observationem commendans, hoc ipso etiam includit *illas operationes*, quas etiam sine externis ejus peculiaribus adminiculis, aut sive materiis, sive motibus ab externo aliquo arbitrio pendentibus, utiliter atque efficaciter exequendo, illud efficit, de quo sermo est, nempe *sine alterius consilio aut manu*ductione, ipsamet ægrum corpus sanitati restituit.

VI.

Unde egregiè omninò, & plane Medicè practicè, & artificiosè, huc etiam trahit illam exactiorem *Hippocratis* elocutionem, quam *lib. VI. de Morbis Popularib. Sect. V.* exhibet: *Naturas esse morborum medicatrices: Invenire Naturam sibi ipsi vias, - - - & quæ conveniat, peragere.* Quæ tantò impensius profecutus *Galenus*: sicut hæc ipsa, laudabili opera, in *locis communibus*, utiliter collegit idem *Valleriola* e quibus imprimis notari merentur illæ formulæ: *Quod Natura stimulata artis peritis demonstret, quid faciendum sit; Quod Natura corporum*
sa-

sapientissima sit, &c. Quod Natura salutis hominum causa omnia faciat: Quod sibi prorsus sufficiat: Quod sit animalium servatrix, morbos finiat, noxia judicet & ejiciat, convenientia servet, aliena separet. &c.

VII.

Cum itaque sub hujusmodi assertionum ipsius *Hippocratis* inter se *collatione*, utique satis apparere possit, quod *mentem* ejus potius docte aperuerit *Falleriola*, quam ullam vim ipsi fecerit, expedit vestigiis illius insistere, & illud, quod ita *Hippocrates* commendat, pressis vestigiis persequi, & rem ipsam de qua loquitur, attentius considerare.

VIII.

Quod quidem ne frustra in nos suscipere videamur, juxtà naturalem ordinem, quo semper *finis*, ut *causa impulsiva*, est prior ipsâ *actione*, cujus rei gratia hunc laborem dignum judicemus quem suscipiamus, brevibus indicabo. Loquitur hic *Hippocrates* de illo negotio, quo *Natura ipsa sine Medico*, *egrotantes in integrum restituat*; adeoque *morbos depellendo*, *santatem reparat atque vindicet*. Hoc quidem *lib. de Arte*, discrete nominat **MEDICINAM**; Alibi in genere τὰ δῖοντα, illa quæ *deceat & conveniat* fieri: Hæc ita *sine Medico* fieri sæpius, fidem non detrahit: Imò jubet potius, re penitus considerata, eo ipso cognoscere, quod hæc omnia quæ fiunt, *artificioso agendi atque fiendi ordine*, i. e. *effectu secundum rectam rationem* consequente, ita fiant: Quam proinde *rationem*, ut non omnium sit cognoscere, ita omni modo illorum esse imo illorum interesse, qui veritatem *artificii*, velint, aut debeant, perspectam habere.

IX.

Et omnino consonum hoc est simplici sanæ râtioni. Cum enim hæc sit ita facilis via, qua *Medicus*, nuda observatione experientiæ, comprehendere possit, quid ad liberandum à morbis ægrum corpus, vero effectu satisfaciât; Simul autem exercitatâ rationis habilitate (*sine qua Medicum esse posse, rectissime negat Hippocrates, in Lege,*) etiam quo ordine hæc satisfaciât, quo
respectu

respectu actionum cum patientibus, comparare atque colligere valeat: Omnino proinde utilissimum prorsus est hujus rei studium, dico peruestigatio hæc, tum veritatis in genere, tum conditionis in specie, *spontaneorum harum ipsius Naturæ curationum, seu artis medica sine Medico.*

X.

Quemadmodum enim rectè de quibuslibet actionibus usurpatur illud Poëtæ: *Dimidium facti qui benè cæpit, habet*: Ita certè hoc in loco nimium quantum amplius obtinuerit Medicus, qui hac ratione non solum ipse benè *incipiet*, sed inveniet jam aliunde & benè *cæpta*, & occupabit etiam porrò vel sine ipso, nedum cum ejus socia opera, bene *continuari* apta atque habilia. Adeoque, quid & in præsentibus casibus, & in futuris similibus, & *agere* conveniat, & *expectare* liceat, prudenti æstimatione firmissimè hinc comprehendere discet.

XI.

His egregiis penitus usibus eruendis intenti, aggredimur hoc opus, & *veram methodum, sive rectam rationem* efficacix illius, qua *Natura sine Medico*, scopum *sanationis* tamen feliciter assequitur. Antè omnia verò præmonemus, quod illa *generalis, quorundam* etiam solum, indicatio *mediorum*, quæ *Hippocrates* allegato loco citat, quemadmodum ab ipso auctore non nisi nudi qualiscunque speciminis scopo, seu *exemplorum* nomine facta est; Ita cum minimè usquam toti negotio satisfaciat, supplenda omnino veniat aliis ejus generis, *plus sub se comprehendentibus*, spontaneorum subsidiorum generibus.

XII.

Ubi, si omnia, quæcunque usquam à *priori* supposuerunt, & à *posteriori* enarraverunt *Hippocrates* atque *Galenus*, solertiùs perpendamus (locorum ipsorum enim innumerorum transcriptione tempus & chartam prodigere, aliorum moribus relinquimus) nihil constantius, simulque consideratu dignius ibi reperiemus, quam à *priori* quidem duas illas assertions, 1) *quod Natura faciat τὰ δέοντα.* 2) *Quod Natura sibi vias inveniat.* A *posteriori* verò, nihil omnium solennius, & imprimis gravissimis

atque laboriosissimis affectuum generibus assignatam, pugnam atq; concertationem naturæ cum morbo, quæ vel directè plenè, & ferè breviter, sufficientibus excretionibus s. ἐκκρίσι, tota absolvatur, expulso ita universo hostili fomite: Vel ad minimum depulso à præsentē sua statione hoste, gravius periculum & damnum ita differat, aut verè in longè levius ita commutet.

XIII.

Quemadmodum autem hiscè tam loquendi formulis, quam agendi atque fiendi declarationibus, rectissimè nobis monstraverunt Antiqui, ad quid', circà hanc materiam, animum advertere conveniat; ita, quando rem etiam hodieque secundum hunc ductum examinamus, deprehendimus utique, cum, quod supra etiam jam monitum est, quod homines è variis morborum generibus sua, quod ajunt, sponte ad sanitatem revertantur: Tum, quod illud omninò fiat, si res rectè æstimetur, methodo rebus conveniente: Et imprimis per vias, interdum quidem, imo comunissimè, etiam ordinarias, & secundùm naturam consuetas: Interdum autem etiam de reliquo insolitas, interim negotio quod geritur utique ita proportionate satisfaciētes, ut etiam inde felix eventus, atque restitutio ægri in sanitatem, subsequatur.

XIV.

Ita enim, quantum ad primum attinet, τὰ δέοντα, illud quod fieri convenit; consistit hoc utique 1) in perceptione quasi alicujus lesionis præsentis, ut illi subvenire Natura suscipiat. Sicut enim vel ipsa Ars, frustra in hoc genere est, nisi ægri quacunque ratione edisserere valeant, quod, imò in genere quomodo, ipsis male sit: Unde Hippocrates Lib. περὶ πρῶτων, sub ingressum ad ægrum statim percontari jubet: *quenam patiatur*: Ita in quibus sensus talis Naturæ deficit, quo illa percipiat & agnoscat, ipsam usq; præsentiam alicujus nocimenti: mirum non est, si etiam eidem non occurrat aut succurrat: unde negligentius habitæ hujusmodi pericula, facilè interim tantum damni inferunt, quantum resarcire non valeat, quantumlibet seriùs negotium iterum

terum aggrediatur, & ut jam *intempestivo*, ita familiariter etiam *inordinato, impetu*, aliquid agere suscipiat.

XV.

Secundum locum inter τὰ δέοντα occupat omninò, *proportio auxilii ad proportionem periculi*. Quod ipsum quam *exacte* observet Natura, quam *solicite*, imò *anxiè* sese hic gerat, & omni modo secundum necessitatem & instruere proportionatè, & absolvere auxilium suum laboret, apparere luculentissimè potest ex illa (à DD. Præsid. etiam peculiari Programmate aliàs laudata,) *æstimatione partium & actionum*, earumque *læsionum*. Secundum quam nempe normam, tam pro *dignitate partium* quæ periclitantur, quam pro *energia læsionis illius*, quæ hæc pericula infert, operationes illas suas *medicatrices*, quantum sibi ipsa de reliquo constat, ita *proportionatè* prorsus gerit, ut *urgentibus* horum generum circumstantiis, *promptè* atque *solicite* occurrere atque satisfacere laboret: *Segnioribus* etiam *otiosius*, & cum corporis atque animi motuum, longe minore trepidatione, ac proinde ordinis etiam servandi minore vacillatione.

XVI.

Tertiò, observare quasi perpetuò licet, ita convenientissimos, etiam *tempestivè* & *proportionatè* intentiones has perficendi *modos*, ut illos non nude à *posteriori* hisce necessitatibus satisfacere, quasi rudi simplici adspectu, agnoscere valeamus: Sed omninò ipsam universam proportionem, quæ inter illas *actiones & modos agendi*, cum *rebus agendis*, & *materiarum in quas agendum est*, intercedit, exquisitâ *comparatione* conferantur, etiam instructissimæ atque perspicacissimæ rationi, *nullum* non solum *melius*, sed pro verâ constitutione rerum, etiam in plerisque *nullum aliud* consilium suppetere posset aut inveniri, quam illud, quod *suo consilio Naturam invenisse*, & exequi solere, eo ipso deprehenditur & intelligitur. Imo hoc ipso sine dubio, ut rectè ipse *Hippocrates* monet, enata est tota *Ars Medica*, ut observaretur partim *quid* utiliter fieret,

partim qualem *proportionem* illud cum substratis materiis habere, intelligi posset.

XVII.

Hæc quidem τὰ δέοντα ita absolvunt, ut inde, sicut aliàs è *causis* idoneis *proportionatus effectus*, non possit non subsequi *Sanatio*; per *depulsionem* nocentium, & *reparationem* noxarum, corporis partim *salvatio*, partim *restauratio*. Interim, quia partim generalissima hæc sunt, partim, etiam ἀθροτα, seu non sufficienter confirmata, consideranda itaque est secunda illa assertio, quæ jam ad *specialiora* digitum intendit: Loquor de *inventione viarum*; Non solum simpliciter *corporalium* ὁδῶν, sed imprimis etiam *intentionalium* μεθόδων, per quas non solum, sed etiam *secundum* quas specialius non proficere tantum, sed etiam efficaciter *dirigere* & tandem exequi possit, tam *quæ* fieri oportet, quam *qualia* & *qualiter*.

XVIII.

Nimirum uti in actionibus absolute omnibus utique opus est μεθόδως, sive via, qua propositus *finis* atque scopus attingi possit; Ita in corporeis rebus seorsim atque speciatim, opus utique est etiam *viis corporeis*, per quas materiæ atque *subiecta* corporea, ad propositum *corporalem scopum* proferri, & corporeis *successibus* moveri possint. Quæ utraq; res partim specialiore atque subalternam, partim specialissimas habitudines & proportionem respicit, adeoque exquisitiorem *determinationem* postulat. Quam proinde utramque ordine aliquo necessario proficere placet.

XIX.

Cum videlicet universa energia, uti totius Naturæ *animalis*, ita in hac particulariter eminentis *humane*, consistat in *agendis motibus*, secundum veras *proportiones* atque certos *fines*; Et universa *Ratio*, generaliter & fiat *motibus*, & consistat in *motuum estimatione* secundum *proportionem ad fines*, & *finium* illorum aliquo velut *appetitu*, qui vel *motibus* impetrantur, vel subtilissimis *motibus sensus* afficiunt: Ita absolvitur etiam seorsim totum negotium *vitale*, peculiari quodam *systemate motuum*,
qui

qui partem maximam *materiali* corporis *integritati* conservandæ & dicati sunt, & necessarii: Ut nimirum illorum medio *physico-mechanicâ* quadam ratione, imo vero verius etiam simpliciter *mechanica*, saltim *organicè* gubernatâ, corporis necessaria *crasis* atque *temperies* conservetur, *amovendo* quicquid ab illa alienum atque ad inferenda damna idoneum est, quod ipsum nempe *motibus*, ad hoc *proportionatis* in effectum deducitur.

XX.

Sicut autem, (nam reliqui quidem jam non æquè ad nostrum propositum pertinent) *vitales* hi motus utique circa res *materiales* ita occupati sunt; Ita postulant necessariò hæ ipsæ, ad subeundos motus, *vias* idoneas per quas incedere possint, & finibus suis *admoveri*.

XXI.

At verò, neque *via* sufficiunt, ut *lapsus* quasi quidam nudi per illos succedere possint; Sed facile intelligit quilibet homo rationis rectè compos, quod *proportio* etiam *motuum*, secundum *conditionem* *materiarum* *substratarum* necessaria sit, quæ *duabus* illis circumstantiis quadret atque satisfaciat, *primò* ipsius *materiae dispositioni*, *ratione consistentiæ* ejus: *Secundò*, *respectui* quem illæ *materiae* habent *ad conservationem* corporis, tam *positivè*, quam *imprimis privativè*, seu *ad destructionem* ejusdem.

XXII.

Hæc nempe res *motus* ipsius convenientem *metbodem* requirit, qua negotia *motionum*, dico *amotionum* & *emotionum* varia, quodlibet suo in loco decenter atque sufficienter perpetrari queant, ut omnia vera *proportione*, *directa*, non *accidentali*, absolvantur, & imprimis inter tot verè, *accidentales occasiones* *ad insigniter variandum*, tamen nihil temerentur, sed placidè potius ad illarum rerum occursum ita componantur, & illis exæquentur, ne *summa* negotii aliquod impedimentum, nedum insigne detrimentum, hinc eveniat. Imo verò magis importunæ etiam hujusmodi perturbationum *ἀταξία*, ipsa *motuum* *proportio* iusta ita opponatur, ut etiam extraordinario gradu,

tamen *eadem specie, eidem etiam scopo* satisfiat, nempe intemperatæ conservationi totius corporis.

XXIII.

HIS res, *proportionatos motus alienorum, per proportionatas vias, ad exterminationem* è corpore, esse veram illam *methodum, qua hoc tam à materiis* corrumpentibus, quam ab earum *effectibus & debeat vindicari, & soleat, nempe etiam ab ipsâ* passim *Natura, nulla arte* adjuncta seu *externa opa* suffulta, monstrat tam *ratio à priori, quam confirmat experientia à posteriori,*

XXIV.

Ratio monstrat hoc argumentis simplicissimis. I. Quia materia totius corporis valdè mobili *corruptibilitati, tam causis* inquam talibus, quam *effectibus, subjacet, quibus adeoque motu* conveniente commodissimè subvenitur. II. Quia corpus hoc, quantumcunque sit *corruptibile, tamen ad reliquos sui usus organico - específicos, in longius tempus conservari debet; adeoque* actionibus etiam talibus opus est, quæ perpetuis progressibus *perpetuæ dispositioni* occurrant atque succurrant, nempe Vitalibus illis Motibus. III. Quia in progressu simplici rationali, nulla est verior atque certior methodus, corpus ita ab omnibus *materiis periculosis, earumque quibuslibet ulterioribus effectibus, liberandi, quam, ut simpliciter à corpore absint & ex illo penitus* proscribantur. IV. Cum econtrà a sana simplici ratione alienissimum sit, operosis *malarum rerum correctionibus* operam dare velle, ut fiunt tolerabiles, imo *utiles* corpori: Cum talium, *simpliciter* dico bonarum & *utilium* corpori, tanta præstò sit abundantia, quas nullo usquam negotio affatim impetrare non solum possit, sed etiam soleat *Natura*. V. Quandoquidem utique absolutè necessarium est, etiam ad simpliciter *elabentium* multarum partium *supplementum, denuò talia* assumere, quæ non solum *bonam* materiam, sed affatim etiam & quantum unquam *necesse esse* possit, suppeditent. VI. Præterea, si utique etiam *correctio* talis vel posset, institui, vel deberet; *Natura* nudâ potestate, sine *directa artis suppeditatione, impossibile* hoc esset
fa-

factu; Cum enim materiæ illæ, quæ partim corpus ipsum constituunt & integrant, partim aliunde in illud sese insinuant, sua sponte potius quolibet modo simpliciter *in deterius* (in proportione ad corpus) ruant, neque nisi aliis velut *oppositis* materiis in necessariam illam *temperiem* reduci possint: Qualibus autem ita *oppositis materiis* Oeconomia corporis ordinaria minime instructa est, sed omnia sua negotia simpliciter *motibus*, & profecti necesse habet, & exequi: Imprimis autem etiam hisce talibus abundè assequi potest, quod necessarium est, secundum *proportionem, non nimium*, sive quantitate, sive qualitate, sive temporis proportione, *discrepantem*: In quibus rebus uti omninò *externis* auxiliis opus est, ita deficit tamen in his partibus etiam *artis ipsius industria & experientia*; imò felicior interdum circà hæc est ipsius *Natura insita potentia* hinc inde in actum deduci observata, ubi patientes *desiderio peculiarium*, imprimis *acriorum sapidarum* rerum, aut *spissarum & inspissantium* corripuntur: quibus, ubi potiuntur, *necessariam* inde *efficaciam* reportant: quam, etiam qui scrupulosiores apparere gestiant, materiali habilitate illis effectibus quadrare, (adeoque *recte* ita *à priori* illis *destinari & ex peti*) non largiuntur solum, sed quam maximè urgent.

XXV.

Quemadmodum autem ita utique etiam penitus *à priori* Natura ipsa monstrat, (seu sana ratio ex indole rerum colligens quid ipsis quadret & conveniat,) quod hæc sit *via & verissima, & strictissima*, imò *necessaria*, ad conservationem etiam *necessariam*, corporis; Ita deprehendimus etiam *à posteriori*, quod omninò hæc ita etiam in effectum deducatur, & in quotidiano usu sit, in corporis animalis administratione; dum per illam non solum *ordinariè* in statu vitali simpliciter sibi constante, hæc via atque *methodus unica* est, qua Vita nititur: Verum etiam in ipsis *morbis*, quoties illi sine *artis* concursu, *sponte* Naturæ sanantur, *unice* hac via salutare illud negotium procedere & absolvi, res ipsa monstrat.

XXVI.

Ut adeoque propiùs accedamus ad negotium hoc, quod præ manibus habemus, nempe ad exhibendum ipsa re, illud, quod Hippocrates non tam docere, quam eminùs solum ad-umbrare aggressus est, & QUOD fiat equidem, satis diserte elocutus est; QUOMODO vero fiat, vix vastis suis operibus satis deduxit, nisi merè *à posteriori, historicè*, nominatis passim exemplis, è quorum & collectione atque collatione, & verâ agendi ratione atque *comparatione* demum solida, veritas hæc eruenda veniat: Dicimus uno brevi themate, quod *Medicina sine Medico, sanitatem & sanationem* corporis perficiens metho-
do vere *artificiali*, i. e. *cum recta ratione effectiva*, sit, *proportionatum moderamen secretorium & excretorium*, quale *proportioni materialium respondet*, quæ corpori *damnum* aliquod *inferre* habiles existunt, aut ipsa *mole*, aut *inutilitate* sua, ab ipso alienæ, quoquo modo *molestiæ*, aut *impedimento* ipsi esse possunt.

XXVII.

Hoc, ut ipsa re probemus, quomodo etiam *soleat* ita fieri, & ipsum *ortum* seu *primam occasionem* sumere, placet primo per-
sitare ipsum verum modum, quo *gravissimi* quilibet, & numero ipso *specierum plurimi morbi* in corpore oriri soleant? Quod ipsum nempe, quando vel leviter consideramus, mox apparebit, quod sufficientiurn *excretionum seu exonerationum* debitarum vitium, jam in *excessu*, jam in *defectu*, jam *tempore*, jam *loco*, conveniente, plerorumque *morborum & materiam & formam* absol-
vat. Quam rem, ut sub *duobus summis generibus* comprehen-
damus, possumus solum producere 1) *vitia habitus materiae ad motum*; 2) *vitia motuum* ipsorum tam in se quam in ordine *ad materias*.

XXVIII.

Primum quod attinet, notabilis utique est antiquissima illa observatio, de habitu corporis *athletico* sive ad *fastigium* san-
nitatis elato, in quo *durare* non possit diu, sed descendere ne-
cesse habeat. Ubi nempe ab ipsa experientia edocti, notave-
runt, & *quantitatem* sanguinis eximiam, & *qualitatem* eju; ma-
xime

maxime *floridam*, non posse *diu* subsistere, quin *incommoda* evidētia, imo *damna* corpori inducat. Quod ipsum tanto magis evidens redditum est, partim à *pletthora* in genere, partim, in specie, in *fœminino sexu*, in evacuationum huic debitarum, planè peculiaribus efficaciss, ad *varii generis morbos* post se trahendos, quando debitæ ejus excretioni necessarius successus decedit.

XXIX.

Sicut enim ex hisce rebus tum *acutos* multos, tum *chronicos* morbos; tum *simpliciter*, tum secundum differentiam *ætatum*, ortus suos atque progressus passim sumere etiam alibi (& existit in *Dissertatione de Morborum ætatum fundamentis, & de Febrivum Pathologia*.) demonstratum est: Ita etiam *quomodo & quo ordine* effectus illi circa *particulares* debitarum evacuationum *ἀταξίας*, ipsis etiam *particularibus* affectibus sive speciebus morborum, ansam & materiam præbeant, & ibi, & multis locis atque modis, partim a D. D. Præsīde particulatim latius præmonstratum partim etiam passim in dogmatibus Medicis, uti ex observatione *historice* obvium, ita etiam communi magis consensu receptum.

XXX.

Quemadmodum autem hac ratione ipsarum *materiarum ad motus* debitos, imprimis ultimos *secretorios & excretorios*, ineptitudo, unde cunque coorta, multis morborum speciebus ansam præbet; Ita quomodo etiam necessarii vitalis progressus magis *à priori* facta depravatio, eandem efficaciam, imò longe *presentiorem*, in hoc genere exferat, elucescit partim ex immediatis *interceptionibus motus* sanguinis v. g. per *ligaturas fortes*, per *contusiones partium*, adeoque *confusiones viarum*, imo mediate, per aliunde coortarum semel *stasium augmentum*, & quanto magis ablati est *omnis* motus, tanto graviores eventus: Sed docet hoc idem etiam luculentissimè, effectus nudorum *graviorum animi pathematum*, in varios *motuum corporis* perversos actus producendos, imo vel constanter *turbandos* eosdem, vel ad minimum variis malis ulterioribus consequentiis produ-

cendis, & post se trahendis circa motus illos, eorumque tam *mediatos* actus, quam ultimos propter quos fiunt, effectus pervertendos, efficacium.

XXXI.

Hæc cum *â priori* ex ipso morborum *ortu* primo, monstrent, quod vitium *debitarum motionum* ad secernendum & excernendum, fundamentum, veluti constituat; nihil utique conformius est ipsi rei, secundum sanam rationem, quàm ut *restitutione successuum* horum, defectibus hujusmodi consulatur & auxilium adhibeatur.

XXXII.

Jam verò illis, qui vel mediocriter prima principia mechanica intelligunt, palam est, quod *impeditior motuum successus* duabus solum *methodis* expediri valeat; Nempe vel *â priori*, *energæ*, ipsius, seu *virium motricium intensio*, donec proportionem mobilitatis *materiæ æquet*: Vel *â posteriori* ut ipsa materia directè magis eo deducatur, ut eiam *ordinariis* motuum gradibus obsequens evadat: Applicando has res ad corpus humanum, easque secundum hujus habitum examinando, facile occurret, quod totus hujus habitus proprie ita instructus sit, ut *priori* maxime *methodo*, nempe *Motus simpliciori augmento*, exactissime quadret.

XXXIII.

In aliis enim constitutionibus, ubi proportionata intensio motus ipsius *â priori*, vel fieri non potest, vel *materia* non satis accommodari & exæquari; absolutè itaque opus est, ut ipsæ *materiæ proportio ad motum* directè reducatur, si ille locum invenire debeat. In *humano* vero corpore, sicut *â priori* motus variè modificari & instrui potest, ita est etiam tota *materia* ea generali indole prædita, ut ad *ulteriores & ultimos motus*, semper *prioribus & remotioribus motibus* maxime apta reddatur: Imo in genere, *motu* ipso variè aucto aut imminuto, etiam in sui *mobilitate* jugiter augeat aut deficiat.

XXXIV.

Quod cum ita sit, ut inquam *ipse motus humores* in corpore

mobiles reddat, adeoque Natura, uti recte loquitur hoc intuitu Galenus *sibi ipsi undique sufficiat*, mirum proinde non est, si proportionatè instructis *solis motibus*, sibi ita affatim consulat; & sicuti *leviores materias, ordinariis generibus atque gradibus motuum*, facillimè superat: Ita si *extraordinariè sive quantitati sive imprimis qualitati* materiarum insolitarum & adventitiarum, solùm motuum etiam de reliquo consvetorum *proportiones* exæquat, assequitur iisdem tunc etiam optatam illam necessariam *exonerationem*, atque ita per eandem *alienorum ad nocendum* etiam paratorum remotione ab universo corpore, hujus pristinam sinceram integritatem.

XXXV.

Ubi verò materia vel non potest debitis motibus sufficienter ad *excretionem* disponi; Vel nimia sui *activitate*, prius abso vit *graviore corruptione*, quam motus ad *excretionem*, tendentes sphaeram suam ita absolvant, ut sufficienti eliminationis successui satisfaciant: Tunc, & imprimis posteriore casu, *succumbit* utique natura sibi simpliciter relicta, & nisi ibi, in aliquibus casibus, ultimis *peculiaribus* susceptis tentaminibus connitendo; Alibi vero, *materiis extrinsecus ab arte* subministratis, singulariter instauretur, vincente nocementorum impetu, excidit sine suo, & corporis sui integritatem reverà amittit.

XXXVI.

Illud, quod ad prioris generis cladem plurimum contribuit, est *viarum* gravius vitium, sive *violentum* illud sit, ut in vehementibus contusionibus partium; Sive mora & *successibus* sensim subnatum, ereptis ita directè ipsis *auxiliorum fontibus* omnem potestatem ad sibi consulendum naturæ eripit.

XXXVII.

Habemus hujus rei exempla partim in *Sphacelo*, quin ipsis *abscessibus* in suo ambitu; Partim in veris *Hydropicis* tumoribus, ab *Hepatis vera obstipatione* originem suam adeptis. Unde priores quidem illas corruptelas, absolutè nunquam: *posterior-*

rem, ubi vere prævaluit, non nisi *rarissimis* exemplis, superare valet medis suis necessariis ita destituta Natura.

XXXVIII.

Quemadmodum autem ex his ita in genere prolatis satis apparere potest, non solum quod verum sit illud de Natura ef-
fatum, quomodo illa *sine artis* adminiculis aut *subsidiis*, ita *sibi i-*
psi satisfacere possit, dummodo convenientes proportionibus
motuum, imprimis secundum *gradum*, *locum*, atque *tempus*, ser-
vet; Imo vero *observe*t, nempe convenientibus proportionibus
instruat: Ita meretur omni omnino modo exquisitissimam con-
siderationem illud in hoc genere sollemnissimum factum atque
phænomenon, quod hæc methodus *actiones* has secundum
debitas administrationes exercendi, imprimis variet secundum
indolem etiam *animi morum*; Dico non solum à *corporis mechanicæ*
proportionibus intimius *adsvectorum*, sed etiam à moralibus oc-
casionibus *adscitorum*, sed tamen in *habitum* aliquem evidentem
deductorum.

XXXIX.

Unde quidem tranquillius & ordinatius undique, adeo-
que etiam ad fines suos certius, & procedunt, & exeunt hujus-
modi *motus*, ubi *sedata* est, & actionibus suis cum constanti *e-*
qualitate, & sufficiente tamen *activitate*, prosequendis & exe-
quendis intenta *indoles*; Dum ex adverso, contraria in hoc ge-
nere dispositio, non solum *deficiendo*, sed imprimis *turbando* pro-
portiones convenientes, totum negotium partim difficilius
reddit & perturbat, partim etiam eo ipso, nimium certe quam
frequenter, ad sinistros exitus rectè ducit.

XL.

Quod quidem maximè propterea notandum est, ne cras-
sæ illæ præfigurationes umbratilem difficultatem hic objiciant,
quasi omnia hæc nudorum *mechanismorum* cursibus ita casu in-
cidant, ut inde prout fors ceciderit, *matariarum* intuitu, & for-
tuitarum *occursum*, ita eventus etiam cadant, nec ibi ullus sit
locus *vigilantiori*, & in res corporis vere *intente* Naturæ, sed o-
mnia hæc ita in diem, & prouti cadunt, etiam cedant, adeoque

boni illi eventus, tam simpliciter forte fortuna contingant, quam *sinistri* obtingere soleant. Sicut enim hæc ita a priori magis, nempe per ipsam *adsuetudinem* velut *infitæ tandem*, motuum *moderandorum*, ad felicem exitum proportionales, alias quoque tali vel simpliciiori atque sinceriori effectui *salutari*, sive perpetrando, sive pervertendo velificantur: Ita cujus profapiæ sint, vel inde etiam argumentum non contemnendum elucescit, quando consideratur *quales*, & quam *pares* non solum in genere, sed ipsa omnino passim *specie*, effectus, in his negotiis sequantur, quando simpliciter nudis *fictionibus animi*, citra ullam veram *corporalem* præsentiam ullius *rei*, nedum *causa*, tamen *proportio* illa, *proportio* iterum dico, motuum, ita pervertatur, ut etiam præsentissimis successibus illa incommoda sequantur, quæ alioquin, sub assuetis hujusmodi proportionum *aræxiis*, etiam jam è longinquo, & statim ab operosioris laboris peragendi primordio, aut ad summum incremento laborum, sese exferunt: imo etiam aliquando sub totius laboris veluti ancipiti *fastigio*, imprimis, ubi collecto aliquo virium ausu & usu tandem decreuisse necessum erat, vel perverso *impetu*, vel *deficiente gradu*, pari *proportione* peccatur, uti alias sub *animi trepidatione*, aut *timidis* audendi fluctuationibus, fieri assolet.

XLI.

Quemadmodum autem hæc attentam atque solertem pensitationem omni modo merentur, ut ita etiam a priori intelligi possit, quod verè principium etiam hujusmodi & *actionum*, & imprimis *directionum* motuum ad *proportionatos* fines, quam maxime *capax*, præsto sit, quod proinde *actiones* ad convenientem *finem* deducere valeat: Ita non tumultuarie certè, sed provide omnino atque perite, etiam ad illam considerationem advertendus est animus, quomodo *eventus* a justa intentione *alieniores* obtingant, & quæ nam ibi causæ verè subesse intelligi possint? An *internæ*? Dico ipsis illis actionibus, quas curativas nos statuimus, *internæ*, & ad illas *directe* pertinentes? an vero tum hoc, tum vel alio quolibet, intuitu, *externæ*, non nisi per

occasiones peculiare, peculiaribus individuis, peculiari aliquo tempore occurrentes.

XLII.

Quæ profecto res non usum solum eximium habet, sed omninò absolutè necessaria est. Sicut enim alias ἀκυρολογία omnium confusionum vera mater existit, ita in docendo *pestis* revera est, in deducendo vero atque demonstrando *Acheruns*, ipsa bonarum conclusionum morte posterior. Hæc enim ratione ex ambiguis præmissis non solum æque facilè introducendi malam conclusionem libera occasio est; Sed profecto potius vera *illecebra*, dum corrupta mens humana etiam undique ad inania atque falsa pronior est, quam solida atque vera, vel ad res ipsa simplicitate sibi magis odiosas. Damus hujus rei exempla de *Febribus*. Dicitur de his, quod facile *dimidia pars hominum Febribus pereat*; Ita profectò machina non contemnenda hæc videri possit, ad evertendam firmitatem assertionis illius, quod *Febres saluari* potius sine concitentur, & tota etiam sua indole saluari effectui, quantum, quidem usquam in *propriis* Naturæ viribus est, etiam efficaciter *quadrent*. Imo emicabit hinc quasi propria sua sponte, ad minimum illa opinio, quod *Febres paris* sint dispositionis, tam ad *salutarem*, quam ad *lethalem*, exitum: quando videlicet ita intelligitur propositio (mitiore sensu) quod *dimidia pars febricitantium moriatur*. Ita enim utique naturali simplicitati consentaneum videtur, si tantundem *lethalis*, quantum *vitalis*, exitus, *Febres* sortiantur, quod ita revera *indifferenter* se habeant ad unum, ut ad alterum.

XLIII.

Cum vero hic subsit maxima illa diversitas ejus, quæ tum ipsi *Febri soli & propriè*, & præterea ipsi etiam *directè*, & per *essentiam* suam, adscribi mereatur, efficaciam aut culpæ: Vel econtra, manifestius potius tribuenda veniat, tum aliorum à *Febre* diversorum *affectuum* noxæ, aut ipsi *Febri solitariæ per accidens* supervenientibus fortuitis *externis*, aut individualibus domesticis, in perversionibus: Abit certè ita longissimè a solida veritate illa propositio, quod *directè* febre ipsa, ejusque *essentiali* indole,

tan-

tantum hominum pereat. Sicut enim etiam rectè agnoscitur (quamvis revera etiam sine ulla debita, quæ breviter fieri poterat limitatione proponitur) quod plerisque etiam *aliis morbis* (non tamen ita indifferenter, sed aliis magis aliis minus *facile*, aliis magis, aliis minus *tempestive*, unice vero verius sub *ultimum*, etiam *per se funestum*, exitum,) *jungantur* febres: Non *αυτίως*, secundum usitatum vocabuli sentum, *typica*, & ad directum *propinquorem* effectum idoneæ instructæ; Sed tantum MOTUS FEBRILES, in qualecunq; subsidium alterius (primarii mali destinati) ita revera non aliter, nisi injuria, deinde dici potest, quod tales patientes qui ita IN febre, aut CUM febre, moriuntur, simpliciter moriantur *A febre*.

XLIV.

Ubi quidem etiam meritò brevibus indicare libet scopulum illum, quem evitare in hoc ipso negotio & necessarium est, & tamen sine peculiari circumspeditione irritum, nempe *Inflammationum internarum*, & iis, adhibitorum *febrilium* subsidiorum. Cum enim etiam *mechanicis* manifestioribus considerationibus *structuræ* totius, & *organicis* veris respectibus indefinentium *usuum*, (ut de *accidentalibus* familiarissimis concursibus nihil prolixius dicam) hæc *interne inflammationes* quolibet intuitu *difficillimè sanentur*; quando semel stas in *pertinaciorè* pro fundamento habent, tanto magis autem *profundiorem*: Interim omni modo certissimum sit, quod etiam ipsa nuda *cognitio* atque *dignotio* solida atque certa, verè præsentis ejusmodi constitutionis, sit aliquid satis difficile; Res tamen ipsa minimè ita rara quin ita sæpa eveniat, ut revera quælibet illarum febrium, quibus patientes certius atque promptius succumbunt, *inflammationibus* calibus *internis* junctæ, imo potius atque verius, illis prægressis super inductæ & adjunctæ sint. Injustum profecto est, interim in proclivi positum, ita labi, *sinistros* illos eventus, qui ab *insuperabili inflammationis* efficacia pendent, illi potius rei imputare, quæ salutari *intentione* isti opposita est, & certe in hoc genere *solum* adhuc *unicum* subsidium existit, quod adversus illa pericula *opponi* possit: Quod proinde

de adversus illas simplices enunciationes tanto magis exquisitè observandum atque servandum est, quanto certius servata hujusmodi vigili discretionè dilucescet, quod potius nisi hujusmodi *alienæ*, aut ad minimum aliæ *accidentales* interversiones intercedant, Febres revera *sibi rectè relicte* atque constantes, *directe* atque *absolute salutare* sint, & salutarem talem exitum nunquam non assequantur.

XLV.

Placet paucis verbis, sed certè non parvam hanc rem hanc ipsam iterum iterumque commendare, quod tales *inflammationes viscerum*, quibus *acute indolis febres* adjunguntur, communissime admodum ambigui jam successus existant. Cujus omnino rei argumentum est nequaquam leve reputandum, quod etiam ipsis adeo externis, *vulnerariis* inflammationibus, febris acuti schematis non ante adjungatur, quam ubi illæ admodum prævalescunt. Quæ nempe consideratio suppeditare potest à verissimi *paritate* hujusmodi constitutionis, etiam tanto evidentiorè rationem, quomodo fiat, ut febres similes *internis* inflammationibus adjectæ, tam raro effectum illum impetrent, ad quem utique *tentandum* institutæ sunt, ut intentione, ita *unica* absolutè, quæ suppetat naturæ intentioni, inventione. Circa quam rem *duo* merito notanda occurrunt. *Primo* quod contra expetentiam, rationibus etiam maximè luculenter suffultam loquantur illi, qui *febres inflammatorias* tanquam *facile ad salutarem* exitum pervenientes præfigurant atque commemorant. *Secundo*, quod nihilominus contra, quando talibus febribus affecti moriuntur, *febri ipsi directè* hoc imputant, eamque hujus noxæ temerè coarguunt. Excepta enim *Peripneumonia* (minime autem pariter vera Pleuritide) omnes certe reliquæ *inflammationes viscerum* tam validæ, ut illis *acuti schematis febris* adjungatur, tanti profecto sunt periculi, ut rationes prægnantes habeam, quare dubitem, an etiam *decimus* quisque, imo non erraverim si dixerò *trigesimus*, verè ita affectorum ægrorum, non solum *Naturæ* hac unica potestate, sed

sed universæ etiam ARTIS ullo subsidio, liberari possit, ne-
dum soleat.

XLVI.

Interim iterum omninò moneo, ne in hoc etiam nego-
tio odiosa simul, atque falsa interpretatione, *vizio vertatur* Na-
turæ, quod summa *laude*, & ubi insuperabiles difficultates fru-
strantur, potius *commiseratione*, dignum est, Quod videlicet
pro conservatione sui corporis, & gravium periculorum, quæ
ab *inflammatione* tali, discussionem non amplius admittente,
certo *impendent*, aversione, universum utique quod in sua po-
testate est, impendat, neque simpliciter omni spe deposita, si-
mul & semel cesset, & omnia resistendi media deserat. Ita
enim profecto, quicquid tandem de *directa intentione* sentiatur,
fateri omnino necesse est; Nempe quod ad minimum *febriles*
motus tales, si modo moderamine atque directione decenter
instruantur, ad tales effectus in genere *idonei* sint: Imo verè
unicum illud vere efficax medium existant, quod Natura *sine*
externis adminiculis, in sua potestate atque toto suæ œcono-
miæ penu, reconditum possideat.

XLVII.

Non potuit fieri, quin has res etiam exactiùs deducere-
mus, cum instrumentum illud solennissimum, quo Natura
medicationes illas *sine medico* maximè evidenter conspicuas
perpetrat, nullum aliud sit, nisi ipsæ FEBRES. Unde,
certe hujus medii ejusque methodi tantò exquisitiore tracta-
tione opus est, quoniam non solùm tam sæpè *occurrit*, sed et-
iam, dum Medici *concurfus* vulgo illi ipsi anxie adjungendus
reputatur, necessitas omninò postulat, ut ille *cognitionem* hanc
solidam possideat.

XLV.

Quantumlibet autem hæc, quæ de *Febribus*, ut solennissi-
mo *Nature Instrumento* ad medicationem *sine Medico* perficien-
dam, modo diximus, omnino ita se habeant; Ita super est ta-
men etiam alia adhuc talis *methodus*, ad præservandum impri-
mis, naturæ admodum *familiaris*; uti reverà etiam verissima

efficaciâ, tali *fini* & effectui obtinendo quadrat. HÆMORRHAGIAS intelligo; Spontaneas illas, à nulla præsentaneâ externâ violentiâ, sed magis *tacitâ commotione* imò subinde diffusiore apparatu, perrumpentes: Quin tandem STATAS temporis *periodos*, vel secundum puram aliquam assuetudinem, ita servantes, ut, licet *intermedio* tempore, tam variis materiis quàm motibus fortioribus, quibus aliàs sanguis *turgescere* solet, adeoque *eruptionibus* objici, tamen nihil tale sequatur; sed potiùs, quantumcunque etiam *maxime tranquillis* rebus aliis, imò in solidum absentibus, quibuslibet occasionalibus, aut impulsoriis causis, quando solum *temporis* illa periodus iterum transivit, & *apparatus* ille *internus*, & *eruptio* illa, certò revertantur.

XLIX.

Neque verò hoc solum, sed considerandum omni modo venit *specialissimarum* illarum circumstantiarum pondus, quod I. *Hæmorrhagia* tales imprimis eveniant statui *plethorico*; II. Nihil *molestiæ* creent, nisi quidem per *accidens* excedant. III. Alias *molestias*, manifestius ab *oppletionis* incommodo pendentes, reverà *sublevent*, imò *eximant*. IV. *Proportionatè* ita *revertentes*, semper manifestius *levamini* sint, quàm oneri, nedum unquam *sensibili damno*: V. Ex adverso, si *in tali constitutione* reliquâ, illæ non obtingant, *certa, multiplicia*, & subinde *gravia* incommoda, imò *damna* ingruant: VI. Qualia etiam, supervenientibus illis, *mitescunt, differuntur*, imo vel *tolluntur*: VII. Iisdem autem, vel aliàs *assuetis*, post hac *emanentibus*, vel postquam ita interveniendo profuerunt, iterum *desinentibus*, vel *pristina* illa, vel *denovo*, *eadem* tamen aut sane *paria*, repullulent. Quibus rebus VIII. accedit, quod etiam *simpliciter artificioso* consilio, sub ejusmodi reliqua *constitutione*, quibus alias *hæmorrhagia* *utiliter* accidere solent, & nisi excedant, *profunt*, institutæ similes sanguinis imminutiones atque ventilationes, etiam *parem*, præcipuè *preservativam*, passim tamen etiam *curativam*, efficaciam exhibeant.

L.

Neque vero interim etiam adeo crasso modo inhærere convenit nudis hujusmodi effectibus *excretoriis*, tanquam exitum suum *semper & infallibiliter* assequentibus; Sed necesse omnino est, habere animum etiam decenter attentum ad ejusmodi **CONATUS**, qui, quantumlibet etiam non ita presse atque penitus exquisite, tamen *eminus*, satis *spectabili directione*, ad hujusmodi exitum & *posse* infervire, & *solere*, vel mediocriter circumspectâ animadversione, satis certò agnosci possunt.

L I.

Loquor de *spasticis* illis *stricturis*, quæ circa *habitum externum*, *Hæmorrhoides - Varicodes* **DESTINATIONES**, adhuc longinquoiores, ab *exitu* etiam suo *remotiores*, insequi solent, per *varias dolorosas micationes, tensiones, atque pressiones*, **ARTHRITICO PODAGRICORUM** affectuum nomine. Ubi quidem, quemadmodum etiam *diuturni* tales spasmi per ambitum corporis, aut magnam ejus partem, præstò sunt atque vigent, ubi interim maneant *effectus* illi *Febriles*, **NB.** *proportionati*, secundum hypothesen, illarum erit, sed quantum in illas cadere potest quam minimum confusè & *ἀλόγως*, enodare.

L II.

Interim quam maxime intelligenda utique venit harum etiam rerum scena, propter *tres* præcipue eminentes causas, I. Ut omni modò intelligatur verus ille *consensus* atque *nexus*, quam hi *spastici* affectus, cum *intentionibus* illis *Medicatoriis* spontaneis, earumque *metbodo & apparatu excretorio* habent. II. *Probitas* illa *intentionis Naturæ*, imo potius *inventionis*, *eminus* potius impeditores successus non magis deliberandi, quam *librandi* quàm statim in ipsa *loca immediata* excretoria, sed *impedita*, adeoque *vano*, imo *periculoso* ausu, irruendi. E quo fundamento merito considerari debet, non contemnenda in hoc genere qualisqualis circumspectio *Antiquorum*, qui *sepositionem ad ignobiliora* loca extremitatum corporis, adeoque *specialissimam justitiam* ejusmodi intentionis, supposuerunt; III. Ingens illa

illa etiam difficultas *prognostico-practica*, medicationis *artificialis* in hoc genere; Dum hujusmodi *motus* circa *exteriores* adhuc partes, si inconditè dissipentur, NB. MOTUS dico magis, quam simpliciter *materie*, facta inde temerè *translatione* ad illa loca, *propiora* quidem, sed *impedita*, INTERIORA, jam *inflammationes*, *precipitis*, jam *obstipationes*, *languidioris*, utrinque tamen PEJORIS, imo *peffimi*, eventûs, excitant: Unde vel *Febrium inflammatoriarum*, vel *hydropicarum*, vel *convulsivo-asth-maticarum* consequentiarum, communissime FUNESTA catastrophe, temerè introducitur. Profectò intelligenda hæc sunt, non *artificiali* ut tali, sed verè *naturali*, *habituali* tamen, *Logica*.

LIII.

Ita nempe partim *propinquis*, imo *proximis*: Partim *remotis*; Partim *longinquis* penitus, undique vero *ad unum* utique *finem* tendentibus, imo & *quadrantibus* in suo ordine, *spontaneis* MOTIBVS *secretoriis* & *excretoriis*, exonerare suum corpus, tam a *causis* noxiis, quam *effectibus* illarum, & POTEST *Natura*, & SOLET: TENTAT propterea illud, ubi *necesse* est; *Prosequitur* quoad possibile est: & *impetrat*, nisi graviter *supprimatur*, ab *intercedentibus* *per accidens* insuperabilibus oneribus.

LIV.

EN MEDICINAM, *veram*, *efficacissimam*; Et condignè omninò, siquidem ab ipso Deo data, & *Nature* insculpta: Et quidem eminentissimè omnium, *humana*: Quæ ita non *sibi* solum in individuo, consulere valeat, sed etiam facta sua, imò *facienda*, usurpando *logistica* sua subsidia, ita *intelligere*, ut aliis quoque individuis, hæc *applicare*, imò *adbibere* valeat. Ubi certè ampla esset occasio, ut alias *simplices Logicas* ita etiam *philologico-Logicas ἀμαθείας*, notandi, circa imperitam certè *explicationem*, seu potius *applicationem*, dicti illius, per nudam verbalem justam interpretationem omninò elegantis, *Hippocratici*: φύσις ἀπαίδευτος ἔῃσα, καὶ μὴ μαθῆσα, τὰ δεόντα ποιεῖ. Quod ita explicare, quasi sincera vi verborum sonet: *Natura omni ratione & intellectu destituta* &c. profectò cavendum fuerit, ne ita affectæ *Naturæ* tribuendum videatur. Cer-

te enim, qui vocabula in se ligit, quid sit *παρδέειν καὶ παρδέεσθαι* ab alio manuduci, *μανθάειν καὶ μανθάεσθαι*, ab alio formari, doceri, & prolixo ordine instrui; Ille facile intelliget, quantum distet, proprio quod ajunt *martē*, sine prolixâ informatione, & longè accersendo habitu, universo, intelligere, & quid necessarium sit, decenter cognoscere, imò cognitum habere: Et contrâ, absolute omnî intellectu carere. Siquidem tota hæc locutio, absolutissimè omninò pariter, quadrat tantundem in ipsam RATIONEM in se, quàm in *Φύσιν* eo respectu sumptam, quem hoc loco *Hippocrates* tractavit. Unde, sicuti nemo in se recipere bono jure potest, quod etiam exquisitissimus ille, qui omninò rei ipsi convenit, sensus, per omnia ipsi *Hippocrati* ita cognitus & perspectus fuerit (præcipuè cum etiam jam olim *Galenus* illud in *Hippocrate* notaverit, quod nusquam diserte eloqui cordi habuerit, quidnam propriè sit illa *Natura*,) tamen cum hoc loco ipsa verba alium sensum non ferant, nedum ut adferant, aut vel solùm inferant, hæc ipsa hoc sensu non tam allegare, quam sua facere, iisque diversissimum potius, quam quod permittunt, demonstrare, imò solum docere velle, alienissimum est. Enimverò & verba rectè intelligentibus, & alio modo cogitare, quàm tali, compositibus, certè alterius indolis, & verè indaginis altioris, textum commentò, (à quo tamen rogo ut aliter constituti in solidum abstineant:) nempe *Empedoclis* illum in *Arbenæo*, Lib. X. *αἴψα δὲ θυτὰ φύοντο, ἀπὲρ μάθον ἀδάνατ' εἶναι*. Illi inquam, minimè verò alii, intelligere hic, intelligere inquam, dent operam, quid hic sit & quantum involvat, sub hoc statu, de quo loquitur *Philosophus*, *μαθήν*.

LV.

Quis verò USUS undecunque obtingere potest artificiali Medicinæ, si hic nullus affulget? Nempe hæc Medicina, Medicina utique est inquam; At Medicus non est Medicus nisi Medicinâ, nempe à *medendo* nomen adeptus. Cum itaque *mederè* sit illud, à quo non solùm nomen suum, sed dignitatem, imò rem sui nominis, tueri illum necesse est: Habet hic utique illud à quo nomen habet, rem ipsam, τὸ *mederi*, unde certè hoc re-

Diffissime intelligere debet; Et hic opus habet, omninò παιδεύ-
 στος; ut, veluti totam suam rationem ἐκ παιδός, à puerili tam *etate*,
 quam *exiguitate*, ad meliorem habitum, *usu*, & vel propriâ
 manu ductione, attollere necesse habet; ita in hac etiam re, *pro-*
gressum illum colligendi atque comprehendendi adhibeat &
 exequatur, qui in omni *collectione* ad *conclusionem*, veluti παιδι-
 κός puerilis, primò reverà existit: nempè à simplicibus & paucis,
 ad plura & fortiùs complectenda, quasi *adolescens*, dum tan-
 dem *virile* robur, tenendi atque stabiliendi, *conclusionem* verà
 obtingat.

LVI.

Hic certe *usus*, uti *positivus* est, & *à priori*, Medico veluti
 tota intentione quærendus; Ita offert decens hujus Medicinæ
 consideratio, adhuc alterum *usum*, quasi *privativum* & *à posteriori*:
 quo nempe Medico etiam necesse sit, ut cum omni atten-
 tione hanc Medicinam omninò circumspèctissimè animadver-
 tat & observet. Nempè propterea maximè, quia minimè in
 potestate Medici est, hanc Medicinam *negligere*; Quandoqui-
 dem illa etiam *non cogitante*, imò, si maximè ille aliter vellet, et-
 iam *nolente* Medico, innumeris in dies exemplis, & in horas a-
 ctibus, ita negotiosa est, & ab omni cessatione aliena, ut pro-
 ptereà, quicumque Medicus, & non belua potiùs, esse velit,
 non possit, nedum debeat, concursus illius ὑπεροχῶν.

LVII.

Quæ certè res, ut ab antiquis Medicæ Doctrinæ auctori-
 bus eximie commendata est, ita, ut semper: *Naturam esse obser-*
vandam; quo Natura vergat ducendum: Naturæ subveniendum: Natu-
ræ ministrandum: imò etiam alicubi, *negotium totum Naturæ com-*
mendandum, docerent atque monerent: Quod maximo certè
 imò tantisper insuperabilis artis instruendæ damno, verè de-
 ducere, & luculenta demonstratione justis usibus adhibere,
 neglexit illorum posteritas: Ita in illa utique hæret vera unica
 lux tam PATHOLOGICÆ solidæ, quam PRAXEOS verè fun-
 data. *Pathologia* quidem, ut expurgentur sordes illæ, dico in-
 juria, quæ *Naturæ* optime merenti, per summam calumniam
 ibi indies fiunt; Dum nempè *optimi* hujus *conatus*, *justissimi* *actus*,
 imò

imò *salutares* multi *effectus*, partim *totò genere*, partim certa *specie*, immenso autem numero *ipsis individuis exemplorum*, pro *ipso morbo*, imò pro *vi morbi*, & *hostilibus ejus insultibus, pugnis, atque cladibus*, publico consensu differuntur.

LVIII.

PRACTICA vero certè lux, tenebris Pandemiis unice necessaria atque salutaris, est utique illa demum vera atque solida *institutio* atque *directio*, quâ totum Medici officium, proprie nititur, imò absolvitur: Medicinam facere, mederi, imò meritissimo Hebraismo, *medendo mederi*. A *Natura*, inquam, *veram Medicinam discere*, *Naturæ Medicinam discere*, *Naturæ Medicinam, facere*: *Naturæ Medicinam regere, adjuvare, sublevare; Labores ejus, angustias, trepidationes, errores, defectus, amicissimè expedire, solari, in viam reducere, supplere; prudentissime admonere, invitare, incitare: modestissimè cobibere, mitigare, sedare; Peritissimè, quibus fortè absolute extrinsecus opus habeat, ea procurare atque suppeditare*: Ubi vero illa in *solidum defecerit*, suam etiam, *artis*, inquam, *impotentiam*, tempestivè non magis *agnoscere*, quàm etiam cum prudentia *profiteri*: siquidem non minus, imò forte plus interdum, honoris evenit *scientiæ Medicæ*, è recte fundatâ PROGNOSE, quàm *arti*, è felici *sanatione*.

LIX.

Quis autem vivet cum ista fient! Coelestis hæc cura esto, uti jura sunt. Intereà verò, cum certè difficile sit, inter homines, etiam doctos, & eheu! Doctores, ista fieri; quod minorem difficultatem facessit modesto animo, interim simplicitatem veritatis, imò sapientiæ divinæ in creaturis expressæ, *Ratione* potius divinitus donatâ atque clementer exornata, cum verâ animi industriâ atque applicatione, amplexanti, *sciri* ista sufficiet: Unde, ad minimum pro virili per individua, quæ vera verè sunt, & assequatur, & exsequatur.

S. D. G.

Non

Non paruum est, fateor, solamen in arte medendi,
 Corpora quæ morbis rite leuare docet.
 Scitus scit Medicus venienti occurrere morbo,
 Quam multi nequeunt fertque Melampus opem.
 Non tamen in Medico est, semper releuetur vt æger:
 Interdum docta plus valet arte malum.
 Et Medicis opus est Medico; & Podalirius hæret;
 Et Chiron moritur, tuque Galene cadis.
 Scilicet & Medicus miseris medicamina tradens
 Peccando miser est, mors & eumque manet,
 Ah! nisi nos Christus releuat medicamine cœli,
 Quod medicina parat, non Medicamen erit.
 Terrea sunt terræ medicamina, corpora spectant:
 Hæc verò, vt poscunt, nec tamen ipsa iuuant.
 Christus materiam peccantem funditus aufert;
 Peccatum peccat, nosque perire facit.
 Peccatum vicit Christus, mortalibus atque
 Mortem viuificam reddidit ipse sua.
 Hinc, quicumque colit, discitque Mechaonis artes,
 Chum Christum sequitur, tum modo rite facit.
 Hanc Te BERGHAVERE, viam calcaste iuuabit,
 Pæonis ponis dum bona corde Tuo.
 Sit Christus semper Tibi pro medicamine summo,
 Illius atque cruor sit panacea Tibi,
 Gratulor ex animo, quod summa cacumina scandis,
 Qua doctis auide doctus Apollo parat.
 Sed simul hæc voueo: sit mens in corpore sano
 Sana Tibi semper: sic medeare Tibi.
 Sit Medico Christo Tibi vita æterna parata,
 Quæ nescit morbos, & medicantis opem.

*His votis Nobiliss: atque eruditione Prestantissimum
 DOMINVM CANDIDATVM, vere a-
 micum nec non ciuem ex paucis estimatissi-
 mum prosequi voluit*

NICOLAUS VALENTIN.

